

physicam, & postillæ super bibliam ad sacram scripturam. Alio modo tanquam continens expositionem sententiæ, non seriatim exponendo literam libri illius, aut librorum, in quo, vel quibus principaliter traditur scientia, scilicet habent se originalia multa sanctorum ad scientiam theologiæ. Tertiò modo, sicut continens scientiam subalternam illi scientiæ, ut liber musicæ ad arithmeticam; aut sicut continens scientiam subalternantem sibi scientiam aliã, & ita se habet liber arithmeticæ ad scientiam musicæ. Alio modo, sicut continens ordinatam excerptio nem quarundam auctoritatum magnis voluminibus libri, aut librorum, in quo seu quibus principaliter traditur ipsa scientia, & sic se habet liber concordantiarum de Biblia extractarum, ad scientiã theologiæ. Alio modo, ut continens excerptio nem au-

thoritatum vtiliorum illorum librorum, qui facti sunt ad explanationem alicuius scientiæ; & sic se habet liber Sententiarum ad originalia sanctorum. Alio modo, sicut ordinata congregatio multarum questionum vtilium ad maiorem intelligentiam, & explanationem, quarum solutiones rationibus, & auctoritatibus confirmatæ sunt. Sicque liber Sententiarum se habet ad theologiæ scientiam. Idcirco in ea assignari non debet aliud subiectum, sicut nec est aliud subiectum libri Physicorum, & questionum, quæ factæ sunt super librum illum, ad intelligentiam eorum, quæ in libro illo tractantur; nisi forte velles sibi assignare aliquam differentiam secundum rationem, iuxta proportionem ad modos tractandi.

SENTENTIARVM FIDEI CATHOLICÆ,

Doctissimi viri Petri Lombardi studio collectarum liber primus, tractans potissimum, de mysterio Sanctissimæ Trinitatis.

Sacra pagina tractatum circa res, vel signa præcipue versari.

Distinctio I.



ETERIS, ac noua legis continentiam diligenti indagine etiam, atque etiam considerantibus nobis, prauia Dei gratia innotuit, sacra pagina tractatum circa res, vel signa præcipue versari. Vt enim egregius doctor Augustinus ait in libro de doctrina Christiana: Omnis doctrina vel rerum est, vel signorum: sed res etiam per signa discuntur. Propriè autem hic res appellantur, quæ non ad significandum aliquid adhibentur: signa verò, quorum vsus est in significando. Eorum verò aliqua sunt, quorum omnis vsus est in significando, non in iustificando, id est, quibus nõ vtitur,

nisi aliquid significandi gratia, ut aliqua sacramenta legalia. Alia, quæ non solum significant, sed conferunt, quod intus adiuuet, sicut euangelica sacramenta. Ex quo aperit intelligitur, quæ hic appellantur signa, res illæ videlicet, quæ ad significandum aliquid adhibentur: Omne igitur signum, etiam res aliqua est. Quod enim nulla res est, vt in eodem Augustinus ait, omnino nihil est. non autem econuerso, omnis res signum est, quia non adhibetur ad significandum aliquid. Cumque his intenderit theologorum speculatio studiosa, atque modesta, diuinam scripturam, formam præscriptam in doctrina tenere aduertet. De his ergo nobis aditum ad res diuinas aliquatenus intelligendas Deo duce, aperire volentibus, differendum est: & primum de rebus, postea de signis differemus.

De rebus agit, quibus vtendum, vel fruendum.

Id ergo in rebus considerandum est, vt in eodem Augustinus ait, quòd res aliæ sunt, quibus fruendum est: aliæ, quibus vtendum est: aliæ, quæ fruuntur, & vtuntur. Illæ quibus fruendum est, beatos nos faciunt. Istis, quibus vtendum est, tendentes ad beatitudinem adiuuamur, & quasi adminiculamur: vt ad illas res, quæ nos beatos faciunt, peruenire, eisque inhaerere possimus. Res verò quæ fruuntur, & vtuntur, nos sumus quasi inter vtraque constituti, & angeli, & sancti. Frui autem est, amore alicui rei inhaerere propter seipsam. Vti verò, id quod in vsum venerit, referre ad obtinendum illud, quo fruendum est. aliàs abuti est, non vti. Nam vsus illicitus, abusus vel abusio nominari debet. Res igitur quibus fruendum est, sunt pater, & filius, & spiritus sanctus. Eadem tamen trinitas, quædam summa res est, communisque omnibus fruentibus ea: si tamen

De materia huius libri, & librorum diuisionem. Au. l. de doctr. Christiana ca. 28.

Idè vbi supra.

B

Aug. lib. 1 de doctr. Christiana ca. 3 d.

Quid sit frui & quid vti.